

esse, ut intelligatis, contra hesternam concionem illam licere vobis, quod sentiatis, libere judicare.

XXVII. Nec vero me, iudices, Clodianum crimen movet: nec tam sum demens, tamque vestri sensus ignarus atque expers, ut nesciam, quid de morte Clodii sentiatis. De qua si jam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare, atque mentiri gloriose liceret: occidi, occidi, non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturisque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non Ti. Gracchum, qui collegae magistratum per seditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria: sed eum (auderet enim dicere, cum patriam periculo suo liberasset) cujus nefandum adulterium in pulvinaribus sanctissimae nobilissimae feminae comprehenderunt: eum, cujus supplicio senatus sollemnes religiones expiandas saepe censuit; eum, quem cum sorore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus juratus se, quaestionibus habitis, dixit comperisse: eum, qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes gentes urbis ac vitae civium conservatorem judicabant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit; orbem terrarum, quibuscum voluit, partitus est: eum, qui plurimis caedibus, in foro factis, singulari virtute et gloria civem, domum vi et armis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicam recensionis, tabulis publicis impressam, extingueret: eum denique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli possessionum termini: qui non calumnia litium, non injustis vindictis ac sacramentis alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat: qui non solum Etruscos (eos enim penitus contemserat), sed hunc Cn. Pompejum, virum fortissimum atque optimum civem, iudicem nostrum, pellere possessionibus, armis castrisque conatus est: qui cum architectis et